



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Lvgdvnensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



PROVINCIA LVGDVNENSIS.



V M V S in hac Prouincia Socij 263. b
ptem domicilijs distributi. In Collegio
Auenionensi septuaginta septem: Sacer-
dotes triginta, quorum duo Theologiam
Scholasticam docent, vnus casus con-
scientiæ, tres Philosophiam: vnus Mathe-
maticas disciplinas: Professores humaniorum litterarum
quinque: Theologiæ auditores octodecim, Metaphysicæ
quinque, Physicæ tres, Logicæ tres, reliqui Coadiutores.
In Turnonensi triginta tres: Sacerdotes tredecim: vnus
Theologiam docet, Philosophiam tres, humaniorum lit-
terarum Magistri quinque, Theologiæ, & Casuum audito-
res tres, Rhetoricæ vnus: reliqui sunt Coadiutores. In
Camberiensi viginti octo: Sacerdotes duodecim: huma-
niorum litterarum magistri quinque: reliqui domesticis
negotijs occupantur. In missione Tononensi ad Gene-
uam sex ex Nostris versantur: Sacerdotes quatuor, vnus
Magister, alius Coadiutor: verum hi cum ad Collegium
Camberiense spectent, in numerum eiusdem Collegij
relati sunt. In Dolano quadraginta quinque, Sacerdotes
octodecim, ex quibus vnus casus conscientie docet: Ma-
gistra

gistrum reliqui : vnus verò Logicæ, humaniorum litterarum sex : casuum Conscientiæ Auditores decem: reliqui Coadiutores. In Collegio Aniciensi 31. Sacerdotes quindecim: quorum vnus Casus conscientiæ docet. Magistri Rhetoricæ, & inferiorum Scholarum sex: auditor Rhetoricæ vnus: rebus domesticis occupati reliqui. In Bisuntino sedecim: Sacerdotes septem: Magistri quinque: Coadiutores quatuor. In domo Probationis triginta tres : Sacerdotes septem, quorum vnus est Nouitius tertij anni, tres Nouitij primi & secūdi anni: duo Coadiutores: reliqui Nouitij. Admissi sunt quindecim. Defuncti duo in Auenionensi Collegio.

COLLEGIUM AVENIONENSE.

SCHOLAE hoc anno vel numero, vel pietate florere maximè, testis Auenio, quæ ne flos ille discipulorum inuisus dilaberetur, & esset perpetuus, suorum omnium suffragijs tribus, aut quatuor summum de quinquaginta exceptis, Philosophiam, Nostrosque aliò ad ponendas tandem certas sapientiæ sedes emigraturos annuo quadringentorum aureorum censu retinuit. Trecentos igitur supra mille ex vniuersa ferè Gallia conscriptos recensuimus. In Logica centum. In Theologia scholastica minimum quinquaginta; delecti omnes: hoc argumentum. Ex illis spectata eruditione Religiosis ordinibus Doctores dati, qui videlicet Philosophiam, & Theologiam edocerent: prodiere alij sex, qui magna cum admiratione, & fructu Quadragesima conciones habuere quotidie. Plerique omnes Sacerdotes, in illisque è Minimorum familia Professor Philosophiæ, cum duobus ex eadem familia: duo

R

Carmelita: Benedictini plures. Et profectò longè plures in angustis tamen classibus auditores haberemus, si vrbe prorsus Catholica facilis aditus pateret hæreticis. Quadringentos misisset Delphinatus. Venère enim eo certi homines, qui facta potestate commodum tam numero pararent hospitium. Aliquibus è præcipua nobilitate potestas facta, à quorù parentibus cùm quareremus, quare tanto labore, sumptuque in magna magistrorum copia liberos adducerent suos, responderunt ingenuè: in regenda, excolendaque iuventute nos primas tenere, nobisque propterea in disciplinam tradere. Aboluti ex illis ab hæresi quatuor: in spe certissima sunt alij, quos ne præpropera festinatio alienet, & perdat, præceptorum patiens suauitas alit, & sustentat. Tam facilis victoriæ causam sciscirati, pietatem condiscipulorum subiecere pro responso. Quæ profectò singulis in classibus pro ætatis captu singularis est; perspicuamque facit omnino eorum numerus, qui vel ad Sodalitatem adscribuntur, quos capit ægerrimè, vel religiosas familias ardentè ambiunt, quos verissimè iustam implecenturiam affirmaris.

NEGLECTAE tamen pietatis nonnulli dederunt argumenta. In his nobilis adolescens, cùm foeda aëris tempestate calceos indueret, & cacodæmoni alterum quia angustior esset deuouisset, audita verba sensit. Fulmen enim maxima vi in pedem incidit, calceumque exiit, & qua vi deciderat, eadem dimidiatum calceum Carpenteratum detulit, ad Energumenum, quem vt vidit, Benè habet, inquit, reliquus calceus meus erit. Qua supplicij leuitate didicit adolescens non euocandum tam facile tam facilem ad inferenda supplicia hostem. Aliis extrema pubertate chartis lusorijs, alexque assueuerat. Iussit ille tandem infelicis dextra, & pecuniam recens ad victum, cultumque biennij integri acceptam amisit plurimam.

rimam. Inops hic consilij, metisq̄ue, desperationē amplectitur, & ab ea desperatione mutuatur cōsiliū, tanquam ad sacram anchoram confugit ad Dēmonem, a quo cū creberrimis præstigijs eluderetur, eoq̄ue premeretur angore, sui vt impotens esset, redijt ad desperationem. Miserati adolescentem permulti à præcipitio, & nec conantur auertere, ad Confessarios externos adducunt, nihil efficiunt; Nostri tandem euentu meliore, & Deo, & sanæ menti illum restituere.

IN vtroque Sodalitio maior enituit pietas: In maiore data illius in duobus maximè hæc inditia. Quidam è præcipua nobilitate desperata à medicis valetudine properabat ad mortem, ad quam vt tutius perueniret destinauit è suis aliquem, qui Patrem è Nostri Congregationis Præpositum admoneret conclamatae valetudinis. Mirum dictu cū primū per Patrem re cognita Socij in preces effudere se, melius habuit, & paucis post diebus omninò conualuit. Alter verò, cū ei ad negotium magni ponderis obeundum salubri consilio opus esset, pro sua pietate ad Diuæ Mariæ Donorum adit, & consilij exorandi gratia rosarium percurrit attentè; ad cuius finem cū obdormuisset, Virginem suauissima facie magna cum animi sui voluptate videre sibi visus est. Expergefactus visi vehementia precationem absoluit, & spe plenus repetit domum. Ecce iterum nocturno in somno sese videndam offert Beata Virgo, certumq̄ue hominem nominat, à quo quid facto opus sit, ediscat. Vix illuxerat, cū ille ipse, quem pia patrona edixerat, pro foribus affuit, eiusq̄ue præsentis patrociniò è certa præsentiq̄ue ignominia ereptus sit. Minoris verò Sodalitij clariora sunt pietatis argumenta. Hinc illa vox nobilis viduæ: Sanè Iesuitas amo, vt debeo, sed nunquam liberis meis potestatem faciam, vt in numero sint Partheniorum, quot enim alumnos habet Virginis Parthe-

nium, tot habet monachos. Exasperabat illā natu maior
 filius Carthusianis adlectus, quem ut auocaret à propo-
 sito, mater relicta Cauallione, sedem Auenioni fixera
 sed irrito conatu: toto enim anno crebris priuatisque
 colloquijs vel lachrymis à filio aliud nihil obtinuit, qui
 ut in suscepto solitariae disciplinae proposito esset fir-
 mior. Dedit igitur hoc Sodalitium singulos Benedictinis,
 Obseruantinis, & Dominicanis Claromontanis. Ex eo-
 dem Minimi binos habuere, tres Carthusiani; Nostri
 totidem; quatuor Cappuccini; ceteri tertiam partem,
 centum supra viginti in certa penè spe vel nostrae, vel
 alienae disciplinae. Quod dum praestolantur, sic se alunt.
 Diebus Dominicis Xenodochium noua pietate visum,
 in eoq; Christiani officij numeros explent, & pro tenui-
 tate scholastica vestibus, & pecunia decumbentes, vate-
 tudinariosque recreant aliquando, admirante vrbe, &
 pueris nondū pubertatē egressis superari sese, alacri ani-
 mo dicta quaedā infulsè falsa audiri, nec morbi metu, nec
 sordibus teneram aetatem, & sordium impatientem of-
 fendi. Duobus ipso palmarum die hoc contigit misera-
 bile iuxta & mirabile. A prandio inambulabant ad Rhodanum,
 cuius inspiciendi gratiā inuitatu condiscipulo-
 rum, qui aduenerant, cariosam cymbam conscendunt,
 quam dum per ludum impellunt, ecce illa Rhodani im-
 petu fertur in vortices, agiturque. Imperiti nauis tam
 inopinato exitu & exitio quid agant? Nauis erat ex-
 armata, & verò instructa, qui gubernet, nemo erat. Ergo
 ad vota confugiunt, Sodalesque palam Virginem implo-
 rant, nec frustra, nauis coepit stare, & conto, qui vnus
 omnino erat impulsus ad littus ferri, sed tāto impetu, ma-
 ximum ut esset periculum, ne in scopulos impingeret: ad
 quos cum recta Rhodanus ageret ingemiscentibus ite-
 rum pueris cum effusa ad tam miserum spectaculum
 multitudine ad sacram iterum votorum anchoram refu-
 giunt

giunt omnes, Sodales iterum Virginem orant, & quo clarius esset eius patrocinium; parentes puerorum, qui aduolauerant accepto de morte filiorum muntio; cum nauis paciscuntur de ferendo subsidio; sed illi iurant sanctissimè nulla remorum vi eò tempore posse perueniri. Cum igitur in scopulo toto impetu ferretur nauigium repente nudato ad enatandum sodali funis piscatorius apparuit, quo arrepto illud sustinuit, sensimq; regente fune deduxit ad littus incolumè. Quid aliud hoc loquitur, quàm præsentem suis esse Virginis opem?

MISSIONES ingredior hoc nomine celeberrimas, quòd Nostris exulibus facta potestas Societatis nostræ munia obeundi; quòd nunquam alias ingrediendi. Numerantur illæ Visana, Paternensis, Carpentoratensis, Dighensis, Aleptensis, Vsetina, Gratianopolitana Delphinatina, Cisteronensis; & sanè si studia Theologorum nostrorum permisissent, quæ non interrumpenda visa sunt, denas quinas quindenique Theologi illis addidissent. In hisque quod hæcenus fecimus missis, sine fuce communibus propria reddemus.

IN Visana odiam posuere consobrinæ duæ, quòd quadriennio magna omnium offensione tenuerant: mulierum foeda libido in pudicitiam conuersa, effectumque labore omnino magno; ut quatuor usurarium lucrum debita restitutione rependerent. Et agno Dei in cera consecrato pueri bini laruis erepti: quibus noctu inter ipsorum parentum amplexum miserimè angebantur. Inducti ad frequentem confessionis, & communionis usum pro oppidulo plurimi: in quibus octo, totius vitæ crimina generali eorum expositione facta deposuere.

PATERNIS hæretica propè iam senior eiurauit suum prauitatis errorem; quem cum lacte nutricis hauserat. Carpentoratensis hæc capita; Iudæus longà tandè disputandi vi victus: erat enim in lingua sua; & scripta-

rarum intelligentia non mediocriter versatus, verum Messiam est amplexatus. Hæretici reconciliati duo, hæresi abiurata; horum alter adolescens, & à parentibus hæreticis natus, & in hæresi educatus, annorum aetate sexaginta: catechesis in hebdomada quater habita, & Sacerdotes edocti casus conscientię, vtrumque tanto cum fructu, vt vtrumque in legem abierit: cautum præterea vt Sacerdotes octiduo conuenirent semel de regendis salubriter hominum animis acturi.

DIGNENSIS vberior: edicto primum in blasphemos animaduersum; dies festi à nundinis alijsque id genus vindicati. Ecclesiasticis vt ex præscripto Cõcilij Tridentini officium persoluerent, ex eius ritu Sacramenta ministrarent, templa mundius haberent ab impio situ squaloreque eriperent. Effectum quoque, quã cohortatione, quã prudentia, vt Canonici fermè omnes mutua odia in mutuum amorem sanctè conuerterent. Obiit Dioecesis maiori fructu, odia restincta, extirpatæque superstitiones, singulis in pagis instituta, sancita que decreto catechesis Christiana. Hæc communia locorum impiorum, vel hominum potius alta rerum ad salutem animarum pertinentium ignorantia facit propria: In his enim locis hæc iacienda primùm fundamenta, vt ædificium necessarium surgat. Sequuntur duo digna memoratu. Adijt Nostrum quidam, qui palam iuramento confirmabat se librum medio ex flumine illæsum hausisse, ex eoque se quicquid vellet, aut vidisse, aut futurum edixisse, donec hæretici diuinationem multorum annorum inuidentes, diuini vt ipsi è malè diuinis fierent, homini librum sustulere; ostentabat tamen nonnulla adhuc illius magici voluminis monumenta, quibus etiamnum abutebatur impiè. Effectum tandem (fama enim, pecuniaque diuinatione quæsita vim afferebant) omnia vt illa abijceret cum magia. Alius se pro mendacio asserendo diris deuouerat, nec

nec eum in officio continuerat ardens adolescentis oratio, qui haustam recens in Scholis nostris de periurio carthesim exposuerat: sed contemptæ admonitionis, religionisque grauiſſimas poenas luit. Sequenti enim die foeda tempeſtate impendente conſcendit campanile, ſacro ſonitu de more tranquillitatem redditurus. Ecce vehementi impetu decidit fulmen, pulſantisque corpus ita pulſauit ſubtiliter, humoremque ebibit, vt cadauer deferentibus ſtramineum haberetur, & quò certior eſſet diuina vindicta, illa duce in remotam fulgurati domû fulmen abiit, retroque multorum dierum odore corrupt, & foeda lögè, lateque fumi reliquit veſtigia, intacto ſuperiori cœnaculo. quod ad Sacerdotem pertinebat: inde euolauit in eiſdem ſyderoſi hortum, domi tamen non attinguum, cuius amigdalum, quam recens miſer peierator plantauerat, euulſit radicitus: & magna omniû admiratione nouus plantator radicibus liberum coelum aperuit, ramos frondesque terra operuit.

ALEPTVM in Oxitania ita hæreſi laborat, vt in decem hominum millibus vix quingenti cenſeantur Catholici. Noſtros primùm hoc anno admifit, effectumque vt hæreticorum impenſa, & dolore crux excitaretur. Alia communia, niſi proprium dixeris in tali loco, quod ad Natalem Domini conſitentium, & communicantium numerus ingens fuit.

IN eadem Prouincia Vſetium, quod à primis Caluiniſmi temporibus hæreſi facile contabuit: miſeris enim ciuibus mulierofus primùm, dein vxoratus, & mox (vt graua iſta ſeſe ſequuntur ſcelera) Caluinianus paſtor præerat. Afflictiſſimum igitur ita hæreſi, vt duodecimſus quiſque vix ſit Catholicus, & ad alendum Caluiniſmum, vel hæreſim potiſſimum ſentinam duos habet miniſtros, perpetuos errorum ſuorum clamatores, eo Societatis odio, vt de ea nullus in eo aut viſus vnquam fuerit, aut auditus.

E O tandem accersitu melioris è Carmelitana familia Presulis venit vnus è Nostris, qui mense Iunio aliquo concionibus Catholicos erexit, ad certamen ministrum prouocauit, qui in absentia nostra gloriabundi de Ecclesia Romana, nostraque familia sine curru & equis triumphare soliti, in presentia pugnam detrectarunt, & magno suo suorumque dolore cornua demiserunt. Labefactatus vrbis Gubernator, Comesque clarissimus, seseque ad pacem Christi rediturum primo quoque tempore professus est. Corpus Christi præterea solempni pompa circumlatum tota vrbe, tota inusitato spectaculo stupore defixa, & palam deficiente sectam suam vt squalidam, & sacrorum rituum inopem, & quod admirabilius omnes omnino officinas artificum occludente. Repetijt Vsetius alius è Nostris aduentu proximo, quo & duos Ecclesiam reddidit & Catechesim insigni fructu instituit, eamque concionibus fructuosioreni fuisse experientia docuit, & qui antea nature vitio hæreticis ludibrio fuerat, mox admirationi honori que fuit vt moribus, & pilis hircinorum ministros imberbem fugere, & oblatam, indictamque pugnam euitare lenserunt.

GRATIANO POLI Sacerdotis nostri minimi cum morum integritate lenis natura & facundia mirabiliter profuit. Quatuordecim primùm Ecclesiam reconciliavit. In his ministerij hæretici candidatus qui S. Francisci familiam hæresi abiurata ingressus est, & causidicus illustris, annorum septuaginta, exemplo vtili, Patrem enim filius est consequutus. In his etiam adolescens, cuius subira ruina multos erexit: qua enim ille nocte sumpta, ludo sibi infelici occasione Romanam Ecclesiam abiurauit, eadem incidit in amentiam, & furorem. Rem catholicam adiuuit Pro-regis exemplum, qui aliquoties nostro concionatori attentas aures præbuit, sed magis lectiones pomeridiana quas ille habuit, & disputatio publica

publica cum Ministro tam felici successu, vt elinguem reddiderit, & magna infamia deserto coetu, & frequentia abire coegerit. Interea spectris diabolicis liberata mulier, quod vti maritus sensit & hèresim reliquit, & ea eadem præstigias effugit. Vir etiam nobilis sponte deseruit hèresim, quòd Minister sæpius inuitatus nostrum concionatorem audire renuisset. Monasteria tria foeminarum, & auitę disciplinæ & pietati restituta. Confessiones, reconciliations, restitutionones plurimæ. Maleficio leuatus vir, & mulier, & puella vxorata à marito prostituta tuto loco constituta. Is superat fructus omnium maximus quod à Prorege, & Senatus primo Præsede obtinuit, vt Delphinatum Septembri Iustitiõ obirent secum, & ex edicto Regio rem Catholicam suis locis restituerent. Qua in lustratione, res, inquam, Catholica multis in vrbibus restituta, Minister publicè cõuictus, & tã apertè vt hisceret. Octo Ecclesiam Romanã agnouere, palamq; ad maximam aram professi se hactenus ignorasse quid sibi vellet pax animi, mentisq; tranquillitas. Hæc pauca dixerit aliquis, sed multa si quis explicuerit quod verbo diximus rem Catholicam restitutam. In eo enim verbo Ecclesiastica beneficia suis locis reddita, altaria restituta, campanæ, ornamenta Ecclesiastica Parœciæ, concionum, confessionum, catechesim frequentem, & necessariam multitudinem complector, suo etiam ambitu edicta in aleatores, & collusores tempore diuinorum officiorum prohibitoria coërcet. Maleficijs etiam, hæreticorumq; fraudibus obuiam itum, multarum pudicitia consultum. Claudet ista Rusticus qui eo nomine deseruit hèresim quòd Ministrorum libri pietatem non saperent, cuius iudicium herus cum vxore sequutus, effecit facilè vt familia tota in eandem iret sententiam, & omnes Catholicorum libros pios euoluerent, & Christianam, Catholicamq; amplecterentur Religionem.

DIV Cisterium nos tenebit ita fructibus graue est. Igitur conciones habitæ tota Quadragesima hoc fructu. Bacchanalia primò nulla. Aduentus Patris ad ea tollere fuit opportunus, cuius tanta auctoritas quæsitæ superis anni fructibus, & spectata virtute, vt vna concione sustulerit. Hinc admiratio totius vrbis, & vicinarum vrbi- bium, quibus pro more ad consuetas insanias Cisterium venire non licuit. Persuasit idem Ecclesiasticorum ciborum abstinentiam, veramque Quadragesimalis Ieiunij formam. Cisteriensibus enim antea prandere, & coenare ieiunium erat: à plerisque ergo obtinuit vt maiorem partem recepto iam in Ecclesia Romana more, ab alijs vt totam Quadragesimam prisca patrum disciplina pane, & aqua frigido admodum cœlo, soloque transigerent. Et cum vix adduci antea possent, vt ante diem ipsum paschatis confiterentur, effectum omnino vt in eunte Quadragesima peccata aperirent. Quo non contenti à singulis diebus dominicis, alij decimo quinto quoque peccata pœnitentia deleuerunt, & sacro se Eucharistia pabulo aluerunt. Non tulit hos fructus æquo animo minister, quos vt adolescentes opprimeret pœnam gravissimam statuit omnibus, qui vel concionanti Patri aures præberent, vel priuatim cum eo consilij capiendi causa agerent, sed nihil effectum. Imo suatum quatuor vt deserto Ministro capescerent fidem Catholicam. In his vnus maximè hæreticis fuit offensionis, quia & militaris scientia, famaque, & generis claritate nobilis erat. Mulieres aliquot à turpi vita vindicatæ. Rediére in gratiam plurimi, in his fortissimi Duces duo. Subleuati compitorum mendiculi, & ægri illi cibo in Xenodochio, publicum enim Valetudinarium nudum erat, & sine instrumentis hoc repertum, ornata domus, & ad commodiorem usum immutata, quod vt efficeret Pater ad Nostram disciplinam incolendi, & excolendi Nosocomia se conuertit, eoq; ex-

pro Cisteriensium oculos in se conuertit, omniaque præstitit quæ iacentibus, & domus vsui fuere necessario. Vis Agnorum Dei in morbis, partuque mulierum tam euidenter probata, vt incolæ, & aduenæ viceni triceni pauperum, & Patris hospitium obsiderent, & summis precibus totum aliquando diem Agnum Dei in consecrata cera exposcerent. In his laboribus catechismi explicatio suum semper tenuit cursum, hæ causæ, ciuitas omnis, & hæretici: illa rerum ad Christianam religionem pertinentium rudis, & ignara: hi illam non ferunt, & nihil est, quod illos peius habeat, melius Christianos; ab ea enim & venena discunt prauitatis hæreticæ quæ fugiant, & rectè viuendi disciplinam, quam benè postea sequantur, ediscunt. Quis miretur in his fructibus Patrem omnibus fuisse charissimum, publiceque publico in Prætorio collaudatum in discessu, & ad tria milliaria vellet nollet à quinquaginta equitibus honorificè deductum.

PONAMVS in hoc genere missionum quod Sacerdotis è nostris proprium est, qui calculi eiiciendi gratia missus ad balnea, salutem animæ attulit viro nobilissimo. Erat ille dignitate Baro mediocri doctrina Latinæ Græcæque linguæ peritissimus, cuius conuersionem Regius quidam Consiliarius hæreticorum mens reddidit difficiliorem. Tandem tamen longa crebraque disputatione fractus, dedit Baro manus: alter verò pollicitus se in lectione prisorum Patrum versaturum diligentius: salutis illius huius promissi hæc præterea occasio data. Venerat ad balnea Minister curaturus morbū, vt ille Baronem adesse cognouit cōfestim honoris gratia illum adiit, à quò & Iesuitam, & consiliariū didicit aduenisse, & verò sæpius concertatū fuisse. Hic homo impotens sui suo more in Iesuitas declamare, multaque pro tempore, vel dicere vel furere. Inter alia, vna concertatione Iesuitam plus suis obfuturum, quam ille triginta quinque annis profuisset. Cui

Baro

Baro quidquid sit cū illo egimus, & videsis ne mala rabie
 agaris : nam hominem vterque probauimus , & si place
 adeamus. Ad Patrem ergo nostrum ambo conuolunt.
 Actum primum de quæstionē physicā , quam Rusticus
 natiuitate furdus obtulerat. Minister multa præfatus ho
 norificè tentauit soluere , sed inscientia rerū physicarum
 habitus ludibrio, honori nostro Sacerdoti fuit, qui expo
 sito neruorum coniugio, rem omnem composuit. Succel
 sit de sacrosancta Eucharistia disputatio , quæ Ministrum
 intra crepidam vt ante dixerat suam , perdidit : admittit
 enim aliquando propositionibus verissimis negabat effic
 quod erat propositū , & cū aliās Græcō se Testamento
 protegeret , eō prolato detegebatur malitiā. Quod vō
 sensere hæretici qui confutxerant , mirum quā animo
 abiecerunt, & se ipsi sint miserati, qui à deliro ignaroque
 fene tot annis elusi fuissent.

REDEO domum ad domesticos. Quinque hæresin
 posuerunt , in his adolescens qui iuramento se perpetua
 hæresi obligauerat. In his alter , qui ex Catholico factus
 ab auunculo hæretico hæreticus quinque dierum ieiunio
 ad nos venit , vt & peccata , & hæresim in templo dete
 neret. Eandem eiurauit annorum sexaginta senex. Con
 fessoriorum verò nostrorū fama exciuit ad se plurimos
 sanè ex Arelatensi Vrbe benè Catholica: vno fermè tem
 pore venere plures quadraginta. In domesticis ponam
 quod capitis ferè proprium est. Rem primū Araucica
 Catholicam restitutam, quam triginta annorum spatium
 miserè afflixerat hæresis. Hoc factum cum Principe, prin
 cipatum suum ex itinere inuisente. Cui cum hæretici hoc
 inter alia proposuissent caput , ne quis Iesuita Araucica
 concionaretur, relectum fuit, liberumque Nostris aditum
 esse voluit. Hinc pio auunculo animi fuere , binas vt nep
 tes surriperet matri , & Auenionem adduceret , quæ vō
 venere facili negotio Ecclesiæ reconciliatæ. Eiusdem
 etiam

etiam consilio effectum vt Archiepiscopi, Clerique Aue-
nionensis beneuolentia Seminarij sui domus Collegio
cesserit, omnium hæc ratio, quod ædificationi scholarum
percommoda futura sit. Quod sequitur difficile: Iudæus
Christo acquisitus, Hoc salutare: Episcopi tres ouibus da-
ti, quæ multis annis, aut pastore caruerant, aut certè stre-
num non habuerant.

FACIET finem præsentis anno duorum Patrum o-
bitus. Priori nomen Bartholomæus de Guillelmis: exijt
ille è vita ultimo Martij: vir pietate singulari in rudiori-
bus excolendis, tota Gallia Lugdunensi incredibilem per
se, per Nostros, per que viros pios imaginum, rosariorum,
& piorum libellorum capita illa complectentium disper-
sit numerum, Vnde præterea fructus ille à Nostreis, & ex-
ternis obseruatus, quod rustici in itinere rosarium per-
currerent, & pueri puellæque Catechesim decantarent,
haustamque à suo Catechista disciplinam domi exponerent.
Lugduni viginti annos operam dedit confessionibus
audiendis insigni fructu, exemploque. Alter est P. Annibal
à Codreto, cuius exitus è viuus in decimum nonum Sep-
tembris incidit: vixit ille annos septuaginta quatuor: in
Societate quatuor, & quinquaginta. Multa ab eo de Patre
nostro sanctæ memoriæ Ignatio cum quo nouem annos
familiariter vixit accepimus, multa de primis decem
eiusdem Patris nostri Socijs, & Patribus, quos & verè
sanctissimos fuisse, & in cultu Dei promouendo strenuos
admodum existisse prædicabat. Illustris patientiæ vel
extremum senium, vel in extremo senio molestissima
stranguria dedit argumentum hoc à Parente nostro I-
gnatio haustæ humilitatis: rogatus enim à P. Rectore
viaticum ei offerente, si quid haberet quod Nostreis com-
mendatum esse vellet, vocem deesse respondit: rogatus
iterum vt in aurem suggereret, qua voce potuit veniam
erratorum expetijt. Quam fructuosè Franciam ille, do-
mumque

mumq; Professam Parisijsq; exerit, quantus concionator extiterit Francia ipsa quæ vidit audiuitque edoceat. His enim dotes, virtutesque huic anno inuidet ignorantio.

COLLEGIUM CAMBERIENSE.

DOMI confessiones assiduæ de more, restitutiones factæ, inimicitia vltro, citroque depositæ. Hoc anno summa annonæ caritas partim ob bellicos tumultus, partim ob pestilentem morbû, qui passim in hisce partibus grassatus est. Hinc factum vt Nostri inopia frumenti laborarint, cum verò via ad emendû inueniretur, diuina, quæ nobis semper adfuit, providentia factum est, vt Archiepiscopus quidam longo satis locorum interuallo hinc remotus, duo iumenta frumento onusta ad nostram inopiam subleuandam miserit, Nostri de nullo minus, quàm de illo cogitantibus. Vir quidam integros septem annos cum hæreticis commoratus, in fide tamen Catholica semper perseuerans, longam iter, ac periculosum confecit, vt ad nos confitendi gratia veniret: quod idem alius fecit. Obitus non tacendus cuiusdam apud nos mortui: hîc cum magno Societatis in eundem studio teneretur, & ad Coadiutorum functiones ritè obeundas ineptus videretur non est admittus. Paucis diebus interiectis redijt, & serui instar infima quæq; domus ministeria promptè, alacriter, ac laboriosè ad aliquot menses obiit: tandem in febrim incidit, eaque confectus susceptis omnibus sacramētis, dum crucifixi imaginem osculareretur, dumque illas Psalmistæ voces sæpenumerò proferret, lætatus sum. &c. expirauit, & postea in nostro templo sepultus est. Ad eos qui in publica reorum custodia tenebantur consolandos, frequenter itum est. Ex ijs septem

septemdecim confessi sunt, deinde cœlesti cibo refecti, & nonnulli postea è custodia emissi, quod illi Confessionis & Eucharistiæ sacramento tribuerunt.

MISSIO CHABLA-
SIENSIS, SEU
Tononensis.

TONONI, & in pagis Gebennæ vicinis, duo è Nostris concionati sunt. Ad eos, qui in superioris anni litteris numerati sunt: accesserunt plures ducentis, qui partim Tononi, partim in pagis Calvinianam hæresim publicè abiurarunt, & sacramenta Catholico ritu perceperunt. In his matrona quædam quæ quòd tertiæ feriæ Paschalis diem violasset, in carcerem Episcopo mandante coniecta fuit. Quo in loco eam sæpenumero concionator noster inuisit, eaquæ præstitit, quæ ad eam ab hæresi auocandam adiumentum allatura videbantur, sed frustra. Carcere liberatâ febris inuasit: primam verò morbi noctem ferè totam insomnè traduxit, eò quòd in mentem redirent verba, quibus concionator in carcere illam affatus erat: hæc causa fuit, vt concionatorem vocari mandauerit, apud quem hæresim detestata est, omnia Catholicæ Ecclesiæ sacramenta percepit, cum magna omnium Tononensium admiratione. Singulis diebus Dominicis catechesis à concionatore explicata est Tononi, bono multorum. Concionatoris consilio factum est, vt quidam à morte vxori afferenda sit auocatus. Hæreticorum libri non pauci incendio traditi. Nostrorum opera ita Episcopo probata est, vt dixerit mitram suam, baculumq; Pastoralem nobis inniti. In Paroecijs non solùm conciones à

Nostris

Noftris habitæ, fed etiam Confessionis, Communionis, Baptifmi, & Matrimonij facramenta publicè adminiftrata, Epifcopo iubente; necnon Doctrina Chriftiana tradita rudioribus, qua vt ea dedifcerent quæ à Miniftris fæpius inculcata didicerant, omni ope contendendum erat. Parœciæ quotquot in tota Chablafij Prouincia funt, omnes ferè à noftro concionatore luftrata; & pæfè accidit, vt concionum finem fequerentur confessiones generales. In quadam Parœcia inuentus eft ruficus feptuagesimum annum agens, & folus in Parœcia hæreticus, barba hispida, afpectu horrido, & qui intuentibus timorem incuteret. Is miniftri officio fungebatur, ad alios ad hærefim pertrahendos, aut pertractos obdurandos; quamquam nec legere, nec fcribere præ fummam rerum omnium infcitiâ poffet; poftea per fummum miniftrum à Noftro Sacerdote abfolutus eft, ita vt diceret nunquam amplius de fide difputaturum; fed illud folum crediturum, quod S. R. E. credendum proponit. In quodam pago inuenta eft quædam diu à dæmone vexata, hæc in fefto Purificationis Sacerdoti Noftro poft concionem confefla eft, & ab eodem facram Sinaxim, & cum ceream agni cæleftis effigiem collo appendendam accepit. Pafchalibus eiusdem anni ferijs Parochum vt ei confiteretur adijt. Is cum miraretur quòd vt solebat non torqueretur, refpondit illa nullam fe à dæmone moleftiâ effe perpeffam ex quo Iefuite quidam ineunte Februario peccata patefeciffet; quâ rem ipfe Parochus Sacerdoti Noftro fponfe nec rogatus narrauit. Cæterum in hac miffione Thononenfi exeunte anno, fummæ Pontificatus auctoritate, & expenfis. Noftrorum ad fenarium auctus eft numerus. Verùm narrationem hanc totam in fequentis anni litteras rejicimus.

MISSIO AD PRIOR-
RATVM MEGEVEN-
SEM FACTA.

MEGEVAM itum est sacris nascenti Christo
festis difficillimo tempore, per loca difficil-
lima, montes arduos alta niue, glaciéque ri-
gentes. Qui concionaturus mitebatur, pe-
dem, fallente vestigio ex edito vertice præcep-
set in profundam voraginem, nisi Diuina providen-
tia affuisset obedienti. In edialibus ferijs idem eodem
missus, idem expertus est diuini Numinis subsidium. Die
quarto sanctioris hebdomadæ sacro, Christi passi my-
steria in oppidulo concionatus est, tanta frequentia, ac
si luisset orbi redempto dies ipsa solemnis: conuene-
rant hinc inde præmoniti relictis ruribus, villis, & ope-
ribus multi Ruricolæ. Feria quinta in Megeuensi templo
sermone habito de Christo patiente, prius oppidum re-
pedauit rediturus pedes dominica sancta Anastaseos:
sed obtulit sese, qui equitem reduceret, nec certè absq;
Dei consilio, auxilioque præsentissimo. Præuia namque
nocte liquefactæ niues molem montis ingentem maxi-
ma cum aquarum eluuiæ in viam publicam pertraxerāt,
eamque sic obstruxerant, vt non nisi longo tractu per-
quirenda foret. Eius ruinæ causa incolis exposita, non
paucos ab impia, res alienas rapiendi cupiditate, diuertit.
Talem verò esse perhibent. Curialis quidam ab agri-
cola fortunarum multum extorserat, à quo tamen mori-
bundo pro collatis beneficijs, prædiorum partem postu-

labat. Ille se potius partem eam diabolo donaturum
statur, à qua execratione sterilis mons, cliuifque ille
mansit, & penè singulis annis terræ motu aut colluuiæ
subuertitur. Idem Sacerdos noster mulierculæ cuiusdam
quæ totum iam triennium varijs exorcistis illuserat,
vt verè energumena ab omnibus crederetur, vel fraude
detexit, vel errorem esse imaginationis vitiatæ ostendit
quod cū primùm illa sibi à Nostro persuaderi passa fuit
simul etiam ab imaginario illo dæmone liberata fuit.

COLLEGIUM TURNONENSE.

IN varijs Collegij fluctibus Nostrorum
stantia quæ domi, quæ foris, collapsa excitando,
reficiendo vetera, noua faciendo etiam
Villa est Turnono distans sedecim circiter
milliarijs: superioribus bellis tota conflagravit, igitur
militibus supposito, sumptu in angustijs nostris non
diocri exædificata est. Idem alibi præstitum. In Collegio
multa facta, quæ magnos vsus afferunt ad domestica
nia. Totum illud prope quadrum est ex quadro lapide.
Summam dignitatem habet duplex porticus vtraque
quadruplici circumcirca fenestrarum ordine illustrata,
quæ in aream prospectum habent: Inferiorem valde or-
narunt addita singulis fenestellis vitra, & cancelli colo-
rato, & compacto decussatim ligno, mirabilem venusta-
tem attulerunt. Hęc omnia effecta dum summa malorum
moles incumberet, nec sine multorum admiratione,
quòd re, vt vulgus iudicabat, planè desperata, ignota
successoribus tantis impensis laboraremus. Continuit
tamdiu bona spes cum omnium rerum desperatione, &
aliquando

aliquando vicit, quando ne spes quidem humana ostendebatur melius fore, & æffuarem us vt parua magno deprehensa nauis in mari insaniẽte vento. Illuxit subito nescio quis tranquillitatis sol, & ascendente in nauim Christo & longè aliter prouidente tanta malatia sequuta est, vt iam hic in portu acquiescamus, musarum suauiter aspirante aura, sine vento vlllo, aut nimbo ciuilibus tempestatis. Pax à Rege constituta inter discordantes Curias, reddita Domino Turnonio malè propter nos adempta bona, detractum de eius honore ab inuidentibus, maior est eidem à bonis habitus, & eius mirificè laudata constantia, facta ab vtroque Parlamento Senatusconsulta irrita, antiquata, Rege ita in consilio decernente causa nostra integra ad eum translata, cautum ne quis alius de illa cognosceret, agerèt ve. Zephyrus iste pacis nostræ labentes multos recreauit, & nouæ spei aspirauit nouam auram, lætari hoc fœlici nuncio Catholici omnes, hæretici vni inuidia, fremere, tumere odijs, diuersis minis intonare: sed futilis hic aries, & qui neruis dirigitur parum firmis, totum hoc anile agmen vno spiritu Christiani diffauerint, si Rex sibi constet, quod vt speremus efficiunt præclara suæ testimonia optimæ in nos voluntatis non semel exhibita. Itaque quocumque iam aspicias omnia videas multo speciosiora, assurgit sensim musarum sedes ista, & gratiarum feruēt studia præsentis hoc sole Scholæ florēt, licet nunquā splendore suum amiserint. Nam & dum pestifera illa lues grassaretur, magis domi forisque nauata gnauiter opera. Numerauit Gymnasiū discipulos semper plus septingentos, nihil de quotidianis exercitationibus vnquam intermissum. Cucurrit felici pede cursum suum Philosophia tanta auditorum frequentia, vt centenum circiter numerum explerint, aliquando soli Dialectici. Bipartitū Sodalitium Deiparæ, cum tam multos vna Congregatio non caperet: atque hæc domi facta

turbulentissimo illo tempore.

QVID foris? Per Vrbes finitimas, imo & longinquas magno fructu excursum. Per quadraginta-diale ieiunij, tanta concionatores postulantium multitudo, tam opportunæ, & importunæ litteræ, & preces, vt neque honestè recusare Superiores possent, nec si vellent possent omnibus satisfacere. Celebrioribus festis diebus, è Magistris missi aliquot in diuersa loca, ne Patribus exhaustum Collegium tum esset confessionibus excipiendis eorum, qui cateruatim è vicinis oppidis Turnonum confinium supremæ apud Delphinates curiæ, necnon totius provincie Gratianopolitanæ vrbis studium in nos singulare, cum multis eluxerit annis præteritis, tunc recens apparuit. In tempore quo petebatur vndique Societas, expetitur Nostris aliquem, eundemque vix emenso Aduentus inimici tempore in annum subsequenter obnixè flagitavit. Tantus confluentium quotidie ad concionem concursus: vt nunquam maior festis, profestisque diebus, & licet bis sæpe in die haberetur, ea tamen aderat frequentia superveniendi multitudini amplum quamvis templum videretur angustum, & sedes in crastinum non antea tantum modo, sed vespertinis etiam horis occuparentur magno numero. Bipartitum Quadragesimæ tempus: datum matutinum sanando alicui loco ex sacris literis à Gebennensibus deprauato post meridianum positum in aperientibus Caluini blasphemijs. Ea res, incredibile, quantum & profuerit Catholicis, & nocuerit aduersarijs, qui etiam grauius id audirent, ex ijs tamen non defuere qui dicerent (tanti refert charitatem in omnibus ostendere) suis se stipendijs velle concionatorem nostrum alere, bellum quamuis acre & noxium faceret, modò, vt faciebat, verbo abesset conuiuium, & iniuria. Prorex Delphinatus & Vrbes Gubernator viri alioquin graues, & boni nominis (si religionem excipias) interfuere concionibus, modestiam dicentia

dicentis commendauere sapius, gratiam, opem, fauorem
 vterque pollicitus est effusissime: cumque postea noui ru-
 mores, nouæque calumniae spargerentur in vulgus con-
 tra Societatem, respondit Prorex, etsi res ita haberet, ni-
 hil id allaturum obstaculi, quò minus rediret noster ille,
 qui tum aberat, quoties vellet. Ter in hebdomada præter
 quotidianas conciones expositi Casus cõscientiæ Gallica
 lingua, vt omnibus fieri posset satis, id enixè flagitanti-
 bus. Habite adhortationes ad sanctimoniales. Harum ali-
 quod monasterium ad vitam priorem, & habitum redijt,
 quem bellorum licentia mutauerat. Duæ ex illis multis
 annis in fide titubantes, in eadem magis confirmata.

DISSIDENTES in alio oppido à suo Superiore
 Monachi, Monasterium valdè turbabant, non sine dolore
 ciuium, qui id videbant, & graui bonorum offensione.
 Reducti in amicitiam à quodam è Nostris forte illac iter
 habente, petita vtrimque & data venia. Idem cum mul-
 tis factum, inter quos grauiores erant discordiæ. Inter
 coniuges quorum paria duo longa post iurgia diuortium
 fecerant, tanto odio, vt in carcerem vxor coniecta men-
 ses aliquot in eo squallore iacuerit, curante id, & vrgen-
 te coniuge, constituta tandem pax, extincta odia, & primi
 amores acrius redintegrati. Vir quidam nõ ignobilis gra-
 ui iniuria ab homine Religioso oneratus, colapho nuni-
 rum, & iniectioe manus in barbam, furere ille, vlciscen-
 di facultatem omni via quærere, abstinere à sacro pane
 diè Christo resurgenti sacro, nec Deum orare quia fas
 esse non putabat ante vltionem: hortatu, consilioque No-
 strorum mentem hanc exiit, dati vtrimque acceptique
 complexus, & grauioribus iurgijs finem imposuit copu-
 latrix animorum Eucharistia percepta. Venerat in suspi-
 cionem violatæ coniugi fidei quædam insignis formæ
 mulier: iamque menses multos vterque duxerat infami
 luxu. Persuasum illis ad subsidium Cõfessionis confugere:

factum ita, atque vtriusque in posterum pudicitiae consuetum. Tanta vis ad Sacramenta confluentium, vnde plerisque locis omnes ferè recoluerint confitendo cuncta totius vitæ.

IN vno pago vno anno plures exceptæ confessiones dicuntur, quàm totis ante integris viginti annis. Patres à spectris liberati. Vna ab infesto cacodæmone, multis annis variè diuexata, sacramentorum virtute, & senior reddita est, & securior. Quidam importuna hæreticorum sollicitatione, fidem Catholicam inter colloquendum, & ridendum intempesta nocte abiuravit. Calvini sequuturus: vix exciderat ex ore verbum, ecce in mentiam primùm incidit, mox in tantum furorẽ, vt ipse violentas passim manus afferre vellet. Ad fidem diè viginti quatuor, inter eos, qui priorem vitam & res cum fide Catholica mutarunt, insigniores extiterunt, quorum laudabilis vitæ mutatio ad alios pertinet. Vir pollens opibus, nobilitate, & gratia: alter adulescentulus magni ingenij, & magnæ expectationis: tertius caudatus nobilis, & septuagenarius. Mirum quod dicam. Hic pauperrimis oppressus doloribus, multis sæpè frustra medicaminibus haustus, aliò mentem conuertit: quærit à confessione corporis, & animæ morientis remedium, repetit, & percepta delictorum venia cum hæreticam perfidiam abieciisset, mox ita conualuit, vt sequenti diè non sine magna multorum admiratione per vicos incederet, nihil vel ipso vultu immutatus. Quædam mulier parentibus hæreticis nata, eorum impulsu hæresim iurarat, grandior facta patriam deserit, inter Catholicos commoratur, hortari illi vt hæresim eiureret, illa negare Calvini tenax, & iuramenti, sed frustra diuino pungente stimulo. Itaque clamare inferis se deuotam, ni citò hæresim suam euomat, certo certius id se scire: aduocatur Sacerdos è Nostris, edocetur de iuramento, & suam hæresim magna hominum

hum frequentia detestatur. Catholica puella nupsit hæretico, mox spectris terreri, & quasi furijs. Apparebat illi in lecto decumbenti dæmon varia specie, & planè horribili; liberata creditur ex quo maritus errorem; illa culpam agnuit. Vexabat miserè; & versabat aliam dirus animarum prædo; cui Pater hæreticus antè diras fuerat imprecatus; hæc à Nostri sanata aquæ lustralis virtute. Alij in fide hæsitati apparuit puer I E S V S inter Sacerdotis manus sacrum facientis. Moribundus decedere non poterat; tametsi maximis obsideretur doloribus; donec euocatus Noster illum ab excommunicatione; qua inuoluebatur absoluit.

MULTI profligatæ vitæ homines non ad sanio-rem tantum animum reducti; sed & varias religiones cogitant. Neque hic fuit Confessionum fructus omnis; etiam in proximos redundauit. Malè parta bona restituta suis dominis; & vis magna pecuniarum reddita. Eleemosinæ multæ coactæ hominibus in carcerem coniectis. Ambière hoc munus matronæ nobiles; & gnauiter certis diebus obière. Conopæum; & luminaria, viatico sanctissimo ægroratis deferendo procurata; cum antea Sacerdos laterna; & tintinnabulo contentus illud non sine ignominia solus deferret. Pertinuit etiam ad nos hæc beneficentia. Nam siue paupertas Collegij cognita; siue vtilitas in vniuersam patriam; certè aucta est erga nos liberalitas multorum priuata; & publica. Cum vix ad alendos viginti redditus superessent; cepit tamen Gymnasium amplius triginta sex; & semper aluit. Ad cæteram templi suppellectilem accessere multa; inter quæ insigne pallium serico; argenteoque diues; sacro pegmati inumbrando Domini Turnonij dono; æstimatur aureis nummis amplius quinquaginta. Vetiti libri allati prope innumeri ad Nostros; & combusti. Quidam libros emerat ad hæreticum mittendos; inuenerunt; ut sit; à condiscipulo sodali Deiparæ Congrega-

tionis : incidit iste in libros, rapit, auffugit ; currere alter, queri, clamare, magni à se, nec sibi comparatos. Ille vero pecunias dare, & magna lætitia afferre in Collegio male mulctand os. Hæc mens quam Deus clientibus in Matris inijcit bona Patrona deprecante.

COLLEGIUM DOLANVM.

BIPERTITVM negotium toto anno fuit, domi, & foris in excursa utrobique præter consueta nil sanè admirandum contigit, quo intelligas faciliè castigatos, moderatosque Burgundionum mores, qui vix indiguerint extraordinaria curatione. Concionatores in Vrbe toto anno non alij quàm è Nostris auditi, quorum concionibus excitati è vitiorum veterno quamplurimi, ad sacramenta frequenter confluerunt. Neque modò in ijs audiendis Sacerdotes fuerunt occupati ; sed etiam victorum in carcere animas exsoluerunt. Ex istis duo errorem suum detestati sunt, hæresimque abiurarunt à Nostris admoniti priusquam ducerentur ad supplicium. Christiana rudimenta in Nosocomio exposita sæpius in hebdomada, & in D. Georgij templo diebus festis omnibus. Dolana inuentus, quæ in Scholis nostris exercetur, quot capiat fructus & ex litteris, & pietate, conijcies ex eo, quòd ad varias Ordinum familias se plerique contulerunt. Societatem I E S V septem impetrarunt ; exiguus in speciem numerus, sed si Probationis domus angustias cogites ex vno Collegio sanè multi. Si spectes multitudinem eorum qui idem flagitant, è magno numero lectissimi videntur fuisse, & horum nonnulli non sine sudore è parentum

rentum manibus eluctati sunt. Sacram vestem vehemēter exornauit aliquorum liberalitas octoginta nummis aureis opportunè admodum collatis, quidam feliciter collocati sunt, vt ex ijs redemptum vnicum altaris ornamentum cum duabus casulis centum aureis æstimetur. Extra urbem consueto more opera impensa iuuandis oppidanorum animis. Tres concionatores cum suis singuli Socijs ad disseminandum Dei verbum dimissi. Maiore ieiunio, diebus festis, ac dominicis à pluribus excursus in pagos eadem causa. Voluntas omnibus fuit ad se, proximosque iuandos inflammata.

COLLEGIUM ANICIENSE.

ETSI celebres semper Ecclesiastas habuerit Anicium, non tamen adeò frequens visus est ad Dei verbum audiendum populi concursus, totis quadraginta annis (vt quidem testatur ciues) vt fuit hac Quadragesima vno è Noltris conciones habente. Hinc fructus non exiguus, diu pœnitentia frequentata, Eucharistiæ, extremæq; Vnctionis sacramenta religiosius administrata, ac percepta. Quo nomine templum nostrum ab urbanis & externis frequētatur. Ex his autem mulier nocturno viso saepe monita fuit, vt Ieuitas animi sordes expiatura peteret: has voces tanquam inania mentis sopitæ deliramenta reputans contemnebat. At cum ad syluam aliquando proficisceretur, spectrum terribimum hominis barbati foedo equo insidentis speciem referens obuium habuit, à quo vehemēter (adiectis præsertim comminationibus) perterrita, ad seque tandem reuersa planè cognouit toties per no-

Ettem salubri oblato consilio esse parendum. Paruit igitur, Anicium venit, nec eam Nostros vitę rectę institutę auctores adijisse pœnituit. Haud sanę obscurum uinę prouidentię argumentum est animaduersum. Nam cum inter aream Scholarum, & vicum publicum, paucędam parietis ruinam aliquandiu minata fuisset, hontadem tam opportuna decidit, vt neq; in vico quem quę eorum, qui templum nostrum eo tempore frequenter solent, neque in area vllum Scholasticorum iam in classes ingressorum læserit, multos ex his alioquin oppressura ruina, si vel citius paulò, vel tardius contigisset.

Vtrique congregationi accessio magna est facta, maiori præsertim, cui probi, honestique ciues plurimi sunt aggregati, & aggregabuntur, nisi loci excludant angustijs. Suspensum gestabat è collo puer amuletu, quo parentes eius febrī qua diu afflictatus erat, posse liberari sperabant, sed quę spes esse potuit in arida aranea, quam superstitiosus amuleti architectus linteolo inuolauerat; Vnus autem è Nostris cum vt abijceretur monuisset, ægrotus non ita post ex diuturna febrīum iactatione conualuit. Hęc ferè domi.

Missiones fuerunt plurimę, cum Nostri varia in accerferetur; sed omnibus eos flagitantibus fieri nõ potuit satis. Duo Sacerdotes haud infructuosã operã Episcopo Minatenfi per semestres præstiterunt, in ruinis maximè Religionis sarcindis, quas hæreticorum furor apud Gabalitanos intulerat. Floraci (locus is est hæreticę ditionis primarius) cum hæretico Ministro magno Calvinianę factionis pudore semel est decerratum. Is enim qui sacrarum litterarum peritissimus à suis iactabatur (strabo videlicet rex inter cæcos) primo quidem congressus aditu, tela vitare, tempus dicendo blaterando extrahere, positas initio vtriusque partis consensu certaminis leges violare, in sacros Ecclesię Doctores, & P
Augu-

Augustinum præsertim, quod retractationum libros ediderit, inuehi, in nostrum Sacerdotem conuiciorum plaustra congerere, præstigiatores, pseudoprophetaque appellare. Noster contra quâ modestiâ, quâ rectæ doctrinæ telis furentis hominis clamoribus obsistere; visumque tandem est reliquum certaminis in diem sequentem differre. Sed Minister (quamquam & sui, & Catholici qui Patrem fuerant comitati congressum vehementer expeterent) iterum in arenam prodire detrectauit: eam recusationem publicis contestatam litteris Catholici pro victoriæ signo acceperunt; nec verò tunc tantum, sed aliàs sæpe Caluiniani præcones, qui cû Nostri proculagerent se cum illis vehementer congregari iactabant, & tantumnum de fide Catholica triumphasse videbantur, Nostri rursus eo nomine ad eos venientibus, ita perterriti sunt, & is maximè Floracensis, vt eorum vultum iterum sustinere non sint ausi, & quid virium in hoc genere, & animi habeant experiri. Eadem missione effectum est inter communia Marioroni, vt pars annuæ pensionis, quæ Ludimagistro hæretico pendebatur, Catholico præceptori assignaretur. Alio in oppido cû sæpe dicendo, monendoque tentassent inueteratam ducetos vt ferebatur annos superstitionem tollere, sed frustra concionatores, Noster funditus eam sustulit, paschalis diei per uigilio summo mane, clam cunctis effodiens, & disturbans labyrinthum, in quo circulationes superstitionis die illo solenni agi consueuerant.

ANNONAE I, quod est oppidum Heluorum, maxima ex parte ab annis ferè quinquaginta hæretica peste infectum, Sacerdos vnus è Nostri rem Christianam egregiè curauit, qui festis Quadragesimæ diebus cogebatur in oppidi platea conciones habere, tum quòd populi concursum non caperent angustiæ templi, tum etiam quia hæretici ad eum in loco non sacro audientium

dum sine scrupulo, metuq; censuræ consistorialis certatim accurrerent. Ipsi etiam Ministelli clam ventitabant, nunquam tamen sunt ausi, licet prouocarentur, cum decertare: dicebant enim prius ab illo curandum, & perficiendum esse vt Senatus Parisiensis contra Societatem decreta rescinderentur, quàm in certamen venirent. Idoneum scilicet congressus effugium. Aliquot tamen eorum grege erepti sunt, vt in Christi ouile redirent: plurimi in recta fide nutantes confirmati, ex his fuit vnus qui cum auctus esset filiolo, ei factus obuius Minister gratulabundus inter alia dixit, non esse debere de filio. o baptizando sollicitum, quia in matris vtero iam esset sanctitate donatus, in fideque parentum saluus futurus quod cum trepidans Sacerdoti nostro renunciaisset, iesus ab illo est ad eum perferre quomodo dictum illi suum posset scripturæ sacræ auctoritate confirmare, cum nil nisi scriptum in ea velint admittere? Deinde cum vna tantum vera credenda sit fides, si in fide parentum saluus sit futurus infantulus, ipsius autem parentes sint Catholici, consequi necessario fidem ipsorum, id est, Catholicam veram, & solam esse, hoc cum dictante Patris memoriae causa in scheda scriptum Ministro dedisset, efficax fuit ad obstruendum os impia blaterantis.

IDE M in alio eiusdem Prouinciæ oppido Patris Ioannis Salesij, & Socij eius cruore nobilitatum, cum rogatu Marchionis cuiusdam eius loci Toparchæ magno Catholicorum bono (qui pauci inter hereticos sunt) versaretur: ac anniuersario S. Sacramenti die, post solennem pompam cui Viuariensis Episcopus, qui tunc Diocesim iustrabat, interfuit, in foro magno spiritu, ac feruore concionem haberet, aduolauit columba, vnde nam ignoratur, & circumfusam Catholicorum turbam aliquoties circumuolans, & veluti alis applaudens: ad hereticos autem qui partim è fenestris, partim ex imis
ædibus

ædibus non procul dicentem audiebant nequaquam accedens, iucundissimum tum quidem spectaculum intuentibus præbuit, & per aliquot dies de rei nouitate colloquendi materiam.

IN summa fructus harum missionum hi præcipui videntur: Hæretici ad viginti veram Ecclesiam agnouere, quorum sex rectam fidem publicè professi sunt: Sacramenta maiori quàm antea cultu, & veneratione administrata: ædes sacræ instauratæ, & ornata: æs alienum restitutum: inter multos reconciliata gratia. Hic porro animaduersione dignum, & diuinæ prouidentiae erga suos operarios fauor apparet, nonnullos ex his qui ad messem Domini missi sunt cum domi de incommoda valetudine identidem quererentur, foris graues & diuturnos labores iucundissimos duxisse, aded vt nonnunquam ternas in die diuersis in locis plane ieiuni conciones haberent. In Ripa Ligeris tribus hinc miliaribus Gallicis, fons multis morborum generibus salutaris, qui pridem ignotus exstiterat, rursus celebrari coeptus est. Eò cum aliquot è Nostris valetudinis ergò essent profecti, ex occasione munera Societatis obierunt. Exceptæ confessiones, tradita numerosa turbæ Catechesis, garrire incipientium repressa audacia, multæ circa fontem superstitiones sublata, erecta Christi trophæa, & alia non segniter ad corporis, & animi vtilitatem præstita.

COL

**COLLEGIUM
BISVNTINVM.**

NON pauci ad nos longo suscepto itinere veniunt sacrorum sitientes mysteriorum, maxime dum bis in anno visendæ sacrosanctæ Christi syndonis ergò Vefuntionem ex finitimis regionibus innumeri turmatim confluunt. Duplex missio in instituenda Catechesi, mirû quàm multis profuerit oppidanis, ita vt necessitatem vnâ cum sua uicari omnes gustauerint. Et verò factum benè, certis vt diebus sub noctem ingens multitudo cogeret in templum, vbi ad quartam horulæ partem discutiendæ daret operam conscientiæ, vbi noster concionator certa puncta proposuisset. Audiendis porrò confessionibus, plebe erudienda, instruendis Sacerdotibus ita utrobique opera occupata, vt procurandi corporis vix tempus esset. Sed ab excursionibus in urbem reuertamur. Factum quod scire nescio, vt lignæ domus aliquot incendio conflagrarent, quo tota vicinia proximo esset in periculo. Ecce tibi è Nostris vnus cerei agni particulas conijcit. Extemplo acclamatur feliciter flammam compesci, qua parte sacra cera iacta fuerit, breuique totum subsidit incendium. Vulgato passim rumore à Nostris ignem extinctum.

AT me discipulorum vocat pietas non vulgaris. Supra 600. ij sunt, quorum indies excrescit numerus: ingenio omnes facili, & ad virtutem propenso. Multi sodales varias Religiosorum familias expetunt; nostram non pauci. Sunt qui adhuc fores aperiant, vbi maturum erit tempus in fructum ituri. Eorundem Carnis priuij tempore

pore eluxit pietas; licet enim perincommoda niuibus tempestas institutam supplicationem interturbarit, tamen & litatum ad D. Claræ, & non pauci sacris participarunt. Nec desistere sequenti die à tam laudato exemplo. Hæc inter, qui de Nostris proximo ieiunio erat concionaturus rem hîc inauditam aggreditur: se quo die maximè bacchantium fuit insania concionem habiturû profitetur; accurrunt plurimi gnari temporis, auidi spectaculi, capiuntur astu bono, exitu felicior: nam & mensarum profusa luxuria compressa, & edicto publico larguatorum est reuocata licentia.

QVIS ciuitatis moderatorum aduersum nos sit amor, sedula eorundem in tuenda nostra existimatione cura, laborque plus satis indicat. Exempla apponam non leuia, bina, aut terna. Querebatur grauissimè quidam apud Sodalitatis hominem minimè malum de Nostrorum flagitijs, vt dicebat: tandem ille fictam hic à se fabellam, aut aliunde emendicatam euomit pluribus, qua toti Collegio turpissimam consuebat calumniam. Vix ad aures Magistratus rumor hic perlatus est, cum mox hominem euocari, testes adhiberi iubet, maledicentiæ commentum indignans execratur, misero illi, nisi Nostris precibus auertissent, nihil propius quam exilium. Liberioris alter vitæ, idemque petulantioris aduersum nos linguæ, cû multa in nos esset debacchatus, ita vniuersus Senatus egrè tulit, vt animaduertendum planè statueret, idque seuerissimè, fecissetque nisi Nostrorum preces iustam iram cõpressissent, totiusque Burgundiæ gubernator ad què miser, vt sùmo in periculo confugerat, se prebuisset deprecatorum. Alius castigatus, admonitusque est Magistratui non placere si quid incautè, nescio quo dolore extimulante, in nos effutiuisset, nec verbis modò se beneuolos præbent, sed & rebus benignos. Non sunt omnia dicta factaque litteris persequenda: excipiam
vnum

vnum, alterumve, vt in magna copia occurrit.

EX AEDIFICANT classem solo ex parte coepto, pari sumptu operaque (quod est egregium) religiose in sequentes annos producturi classes. Porro in extinctione temporarij templi nostri frequens multorum liberalitas exstitit, qua perfectum omnino est ad sex, septemve menses, magna gratulatione omnium: nam multa obstitit quo minus inchoaretur, plura quo minus coeptum promoueretur opus, ne perficeretur plurima. Inter ea dum res virgeretur, vidisses vtriusque sexus ingentibus animis plurimos ad laborare more apum huc illucque circumcurrere, nullum facere finem, gratis laboribus aduectare lapides, turmatimque collectam terram congerere nisu ardentissimo, donec sexto idus Augusti inaugurata solenni ritu ara esset, reliquumque solum pulpurae ergo dedicatum, tanta laetitia, frequentiaque, quanta cum esse solet maxima. Archiepiscopum inter & Episcopum pia suborta contentio vter consecraret. Ille perquam studiosus nostri magno sibi ducere honore Nostros hoc officio deuinciret magis, ac magis; sed reuocatus aegre est vicino Serenissimi Principis Austriae in Burgundiam accessu. Quare Proepiscopus D. de V... obijt munus sane quam studiosissime; sed & Archiepiscopus suas ipse partes obire voluit ipso Assumptae in caelum Virginis festo die, quo praeter statas indulgentias etiam maior Congregatio ibidem plenariam indulgentiam proposuit, ex instituto moreque. Huc Collegia penne terna Canonorum: huc Magistrorum coetus: huc lectissimus numerus procerum urbis: huc vtriusque sexus ea multitudo, quam locus licet peramplus non caperet, & erant viae proximae circumuestitae eleganter emblemate, & carmine. Nec deerant certis intervallis dispositi arcus ubi parietes instructi, ornatique magna poematum, aliarumque inscriptionum varietate, & copia.

Quare

Quare eo die ingenij, & eruditionis famam non mediocrem adepti sunt nostri Scholaſtici: ſed pulchro inſtructu, ornatuque ſplendido templum rapiebat omnes. Quid de Archiepiſcopo dicam? qui præter quàm quòd in pontificijs infulis, & Eccleſiaſtico omni ritu ſacrum fecit, omnibus eo factò fuit gratiſſimus, nobis perbeneuolus, præ dio, egloga, epigrammatis exceptus plurimis eam hauſit animò voluptatem, vt & pomeridianæ concioni intereſſe, & nobiſcum familiariſſimè verſari voluerit; acceſſit eodem penè die templo ornatus omnis, tabella 100. aurcorum à D. de Vatenille nobis additiſſimo, à qua & veſtes non leuis pretij. A D. Marchione de Varambon Archiepiſcopi nepote, quinquaginta ſupra centum aurei: alij aliæque mixtim multa pie admodum ac liberaliter templo conſecrant, vt videamur hîc iam annos degiſſe plurimos.

E G R E G I V M præterea noſtri ſcholaſtici dedere pietatis ſpecimen, dum tota ciuitate circumferretur celebri pompa ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum, nam ipſis publicæ domus valuis, ſplendido theatro publicis extructo ſumptibus exhibuere grata in ſpecie manna Patribus datum, non ſine totius Magiſtratus inſigni cum voluptate, tum diligentia: rem enim ipſi primores vrgebant, quo in poſterum dies ille feſtus ageretur celebrior: nobis verò magis ac magis gratificarentur optimi ciues. Vidua quædam pauperrima vt audiit multa à multis dari exſtruendo templo, quod tritici ex eleemoſinis ſupererat domi, totum proluſa manu afferre non dubitauit. Hîc P. R. ector hæere, liberalem ſuſcipere animum, neceſſitatem obijcere: atqui illa, obiector vos Chriſti nomine denarium à vidua capite; Edargeliſ mementote. Tum Pater: Meminimus, ſed tibi aſſeuato, voluntas iſthæc abundè ſatis nòs dirat: quare bona venia abito. Non faciam, inquit, hîc ad ianuam ſaccum depoſi-

tura in me audiatis. Parendum omnino fuit tam piæ ex-
postulationi. Virgines aliquot Deo se consecrarunt, mul-
tæ idem ambiunt.

DOMVS PROBATIONIS AVENIONENSIS.

HIVS domus tyrones ex more Societatis
probationibus exerciti fructus non poeniten-
dos retulerunt. Qui ad pia Sanctorum moni-
menta profecti, sæpius benignam Dei pro-
dentiã sunt experti, siue quia præter opinionem in sum-
ma necessitate occurrebant ignoti homines, qui eos
beraliter exciperent, siue quia vt Nouitij Societatis
quantumuis ementito habitu tractarentur humaniter
ue etiam quia ab hæreticis non malè acciperentur. Ex
tres tum fortè in prædones inciderunt, quos in abditi-
sylvarum semotos excusserunt diligenter, vt si quid
vel argenti haberent in aliquo recessu vestium, illud
perent, factumque est, vt cum nihil non inspexissent,
vnius peram quam præ se ferebat non scrutarentur, a
qua pauculi erant nummi emendicati. Tandem cum tres
horas totas illos tenuissent, spe nouæ prædæ, optima
quibusque vestibibus spoliatos abire sinunt. Sed cum ve-
stem vicinam essent ingressi, vrbis præfectus admonitus
illos inuisit, & cum eos esset intuitus laceros, & ex mul-
to imbre madidos, digressus domum postmodum, filium
cum seruo necessaria omnia ferenti mittit, qui domum
inuitet: adeunt Nostri, gratias agunt quas possunt maxi-
mas, & impetrata facultate, templum Confessionis, &
Communions causa adeunt; quæ religionis officia fan-
ctè cum obeunt, oculos, & animos rapiunt circumfula
multi-

multitudinis. Illo itaque die à Governatore liberaliter tractati: postridie cùm profectiorem apparant, Consul urbis accurrit, & cùm eos retinere non posset suadere nititur, vt vestem, & alia ad arcendam aëris intemperiem acciperent, quæ ipse copiosè afferebat. Nostri contra exhibita grati animi demonstratione nihil acceptius fore Patribus, & sibi; quàm si illo latronum cultu se vestitos reciperent. Hoc igitur ægrè dimisso obtrusit se alius, qui equi commoditatem obtulit, quocum diu certatum, nec tantum effectum, quin illos saltem ad nouem miliaria comitaretur, licet sylua latrocinij infamis esset prætereunda.

EX ijs qui in Societatem admissi eximia fuit hoc factio vnus vocatio, qui cùm tres circiter menses precibus parentes fatigasset, vt per eos sibi liceret nostrum institutum inire: tandem facultatem obtinuit à Patre, matre repugnante, quæ filium itinere diei ex interuallo infecuta, cùm blanditijs nequicquam proficeret, arrepto pallio abeuntem muliebri conatu retinere conata est, quo libentissimè abiecto viriliter D. Francisci exemplo ad Christi crucem profugit. Huic non inferior fuit alter in re dissimili, qui regularum meditationem ingressus, ita coepit affici, vnde decima earum, quæ summario continentur, vt tres menses, & amplius in ea recogitanda summa cum animi voluptate posuerit, eo fructu, & emolumento, vt egregio sui ipsius contemptu, patiendi, & imitandi Christum ardore, ceteris esset exemplo, & admirationi.